

l. *Si fructuarius* 13, ff. *Quibus modis fructus amittitur*, ibi: « Si fructuarius messes fecit, et decessit, stipulam, quæ in messe jacet, hæredis ejus esse. Labeo ait: Spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse, fructumque percipi, spicam, aut feno cæso, aut uva adempta, aut excussa olea; quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. Sed ut verum est, quod de olea excussa scripsit, ita aliter observandum de ea olea, quæ per se decidit. Julianus ait: Fructuarii fructus tunc fieri, cum eos perceperit, bonæ fidei autem possessoris mox quam a solo separati sint. » Et concordat l. *In singulos* 8, ff. *De annuis legatis*, ibi: « Cum fructuarius etiam si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, hæredi suo eos fructus non relinquet. »

(49. Si ususfructus sit relictus pluribus usufructuariis conjunctim, uno eorum decedente, ejus portio accrescit aliis, et non revertitur ad proprietarium, textu expresso in l. *Quoties* 1, ff. *De usufructu accrescendo*, ibi: « Quoties ususfructus legatus est, ita inter fructuarios est jus accrescendi, si conjunctim sit ususfructus relictus. » Et concordat l. *Si mulieri* 8, ff. eod., ibi: « Si mulieri cum liberis suis ususfructus legatur, amissis liberis, ea usumfructum habet, sed et matre mortua, liberi ejus nihilominus habent jura accrescendi. » Contra autem: si ususfructus sit relictus pluribus non conjunctim, sed separatim, assignata cuique sua distincta portione, textu expresso in cit. l. *Quoties*, ibi: « Cæterum si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus accrescendi cessat. »

(50. Usufructuarii hæres non tenetur restituere proprietario fructus, quos defunctus collegerat, antequam essent maturi, textu expresso in l. *Si absente* 48, § 1, ff. *De usufructu*, ibi: « Sylvam cæduam, etiam si in tempeste cæsa sit, in fructu esse constat, sicut olea immatura lecta. Item fenum immaturum cæsum in fructu est. » Et concordat l. *In fructu* 43, ff. *De usu et usufructu*, ibi: « In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est; neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quod magis colono, dominove cum fructum tollere expedit. »

(51. Usufructuarius potest interrompere locationem factam a proprietario, textu expresso in l. *Arbores* 59, § 1, *De usufructu*, ibi: « Quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet, pensiones quoque jam antea locatorum agrorum, si ipsæ quoque specialiter comprehensæ sint, sed et ad exemplum venditionis nisi fuerint specialiter exceptæ, potest usufructuarius conductorem expellere. »

(52. Hæres, seu legatarius testatoris tenetur præstare usufructuario viam, et transitum necessarium ad utendum suo usufructu, textu expresso in l. *In fundo* 1, § 1, ff. *Si ususfructus petatur*, ibi: « Ususfructus legatus adminiculis eget, sine quibus uti, frui non potest, et ideo si ususfructus lege-

tur, necesse est tamen, ut sequatur eum aditus. » Et *ibidem*, § 2, subjungitur: « Sed si ususfructus sit legatus, ad quem aditus non est per hæreditarium fundum, ex testamento utique agendo fructuarius consequetur, ut cum aditu sibi præstetur usufructus. » Et *ibidem*, § 2, additur: « Utrum autem aditus tantum, et iter, an vero et via debeatur fructuario, legato ei usufructu, Pomponius l. v, dubitat; et recte putat, prout ususfructus perceptio desiderat, hoc ei præstandum. » Et concordat l. *Damna* 15, § 1, ff. *De usu et usufructu*, ibi: « Si fructuarius ad fundum, aliunde viam non habeat quam per illum fundum, qui legatus est, an fructuario servitus debeatur? Respondit: Quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario potest præstari via, secundum voluntatem percepti videtur id exigere ab hærede; ita et in hac specie non aliter concedendum esse legatario fundum vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario præstet. »

(53. Usufructuarius tenetur ad sustinenda, et solvenda omnia onera rerum, quarum usufructu gaudet, uti sunt tributa publica, vectigalia, census, pensiones, omnesque aliæ obligationes, etiam si prædicta omnia post institutum usumfructum supervenerint. *Communis*, per textum expressum in l. *Si pendentes* 27, § 3 et 4, ff. *De usufructu*, et l. *Quæro* 18, ff. *De usu et usufructu*. Et ratio clara est, quia secundum naturam est, quod qui sentit commodum, sentiat et onus, per text. in l. *Secundum naturam* 10, ff. *De regul. juris*, et cap. *Qui sentit* 55, *De regulis juris* in 6.

(54. Dominus, seu proprietorius nihil potest nec addere, nec minuere, aut mutare in locis, aut in rebus obnoxii usufructui, id est neque inutile aliquod ædificium demoliri, aut altius tollere, aut sylvam quamdam excidere, nisi de consensu expresso usufructuarii, etiam si per id fundus usufructus redderetur evidenter melior: *Communis*, per textus expressos in variis legibus, et signanter in l. *Usufructu legato* 7, § 1, ff. *De usufructu*, l. *Sed si is*, § 7, ff. eod., l. *Si ab hærede* 2, ff. *Si ususfructus petatur*.

(55. Dominus, seu proprietorius, aut quis alius, ad quem spectat fundus usufructus, de jure potest exigere ab usufructuario quascunque cautiones necessarias ad conservationem prædicti fundi, et integram restitutionem finito tempore usufructus, et usufructuarius tenetur dictas cautiones ei præstare, nisi vi tituli sui ab hoc onere eximatur: *Communis*, per claros textus in l. *Si cuius rei* 14, ff. *De usufructu*, l. *Si cuius* 1, ff. *Usufructuarius quemadmodum caveat*, l. *De dic.* 8 § 4, ff. *Qui satis dare coguntur*, l. *Si ususfructus* 1, et l. *Usufructu* 4, cod. *De usufructu*, cum similibus.

(56. Et a fortiori idonea cautio exigi potest, et præstari debet in quasi usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur, ut expresse habetur in l. *Sed de pecunia* 2, l. *Ergo cautio* 4, l. *Hoc senatus consultum* 5, l. *Si tibi* 6, l. *Si vini, olei* 7, l. *Tribus* 8, ff.

De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur, et in c. *Dum constat* 8, *De pignori-bus*. Quamvis enim in rebus usu consumptibilibus (uti sunt vinum, frumentum, oleum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, namque ipso usu assidua permutatione quodammodo exstinguitur, ut expresse habetur in § *Constituitur* 2, institut. *De usufructu*, et consumitur, si non in sua entitate, saltem in dominio) non possit proprie constitui usufructus cum sit impossibilis earum usus, salva manente rei substactia, ex quo talis usus in consumptione consistat: quasi usumfructum tamen etiam in his constitui posse utilitatis gratia statutum est in l. *Senatus consultum* 1, et l. *Sed de pecunia* 2, cum aliis tot. tit. ff. *De usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur*, et cit. § *Constituitur* 2, institut. *De usufructu*. Ea tamen conditione, ut si legetur alicui usufructus omnium bonorum, aut quorundam, quæ usu consumuntur, bona usu consumptibilia tradantur æstimata, et acquiratur ab usufructuario eorum dominium cum obligatione reddendi æstimationem, transacto tempore usufructus, præstita ad id idonea cautione, ut patet in supra citatis iuribus. *Vide verb. DOMINIUM*, art. 1, n. 13 et 14.

(57. Ususfructus finitur variis modis. Primo cessione mutua, utpote si aut usufructuarius cedat usumfructum proprietario, aut proprietario proprietatem rei transferat in usufructuarium, textu expresso in § *Finitur* 2, institut. *De usufructu*, ibi: « Item finitur usufructus si domino proprietatis usufructuario cedatur, vel ex contrario si usufructuarius proprietatem rei acquirat, quæ res consolidatio appellatur. »

(58. Secundo finitur usufructus, si res usufructui obnoxia tota pereat, v. g. tota domus sit casuali incendio combusta, et hujusmodi: tunc enim non remanet usufructus, nec quantum ad locum, in quo ipsa domus constructa erat, nec quantum ad ligna, et cæmenta aliasque res, ex quibus erat composita; l. *Quoties* 34, § 2, ff. *De usufructu*, l. *Repeti potest* 5, § 2, ff. *Quibus modis usufructus amittitur*, et § *Finitur autem* 3, institut. *De usufructu*, cum similibus. *Vide supra*, n. 41, 42 et 43 et observa ut ibi.

(59. Tertio finitur usufructus conditionis eventu, quando jus usufructu fruendi intra limites illius conditionis totum continetur, textu expresso in l. *Si sub conditione* 16, ff. *Quibus modis usufructus, vel usus amittitur*, ibi: « Si sub conditione mihi legatus sit usus, medioque tempore sit penes hæredem, potest hæres usumfructum alii legare. Quæ res facit, ut si conditio extiterit mei legati, usufructus ab hærede relictus finiat. »

(60. Quarto finitur, cum finitum est tempus, ad quod usufructus alteri legatus, seu concessus est l. *Ambiguitatem* 12, cod. *De usufructu*, l. *Sicut in annos* 3, ff. *Quibus modis usufructus, vel usus amittitur*, cum similibus.

(61. Quinto finitur, cum testator rem

usufructui obnoxiam in testamento relictam ante mortem nihil quidquam mutato suo testamento immutat, ut si alicui relictus usufructus certi agri, et postea ipsum agrum in ædificium immutet, seu in eo ædificium construat, et hujusmodi: tunc enim talis immutatio aperte designat ipsius voluntatis immutationem, et legatum proinde penitus exstinguit, cum legatum illud totum pertineret ad agrum, qui non amplius exstat. Sic expresse habetur in l. *Repeti* 5, § 3, ff. *Quibus modis usufructus, vel usus amittitur*, ibi: « Si area sit usufructus legatus, et in ea ædificium sit positum, rem mutari, et usumfructum exstingui constat. » Et concordat l. *Quid tamen* 10, § 4, ff. eod. ibi: « Certæ silvæ usufructu legato, si silva cæsa, illic sationes fuerint factæ, sine dubio usufructus exstinguitur. »

(62. Sexto finitur morte, tum naturali, tum civili usufructuarii: *Communis*, per text. in § *Finitur autem* 3, institut. *De usufructu*, l. *Si cui* 3, § 3, ff. *Quibus modis usufructus, vel usus amittitur*, l. *Si patri* 2, et l. *Corruptionem usufructus* 16, § 1 et 2 *De usufructu et habitatione*, cum similibus.

(63. Si usufructuarius fiat religiosus, et professionem emittat in religione incapaci bonorum stabilium in communi, tunc usufructus exstinguitur, et consolidatur cum proprietate domini. Sic communis DD. sententia cum Layman, l. III, tract. 1, cap. 6, num. 6, vers. *Dico secundo*; Sporer, *loco cit.*, num. 44; Sanchez, lib. VII *Moral.*, c. 13, n. 53; Azor., tom. II, lib. II, c. 22, q. 4; Molina, tom. I, tract. 2, disp. 9, et aliis. Et ratio est, quia usufructus est jus personale, quod una cum persona exstinguitur, sive per mortem naturalem, sive per mortem civilem, qua persona fiat omnino incapax usufructus, arg. § *Finitur* 3, institut. *De usufructu*. Atqui per professionem in religione incapaci bonorum stabilium in communi, persona professa fit omnino incapax usufructus tam in propria persona, quam in communi, ut de se patet: ergo, etc.

(64. Si autem usufructuarius fiat religiosus, et professionem emittat in monasterio incapaci bonorum stabilium in communi, tunc usufructus devolvitur ad monasterium, quo contemplatione monachi frui poterit, quandiu is vivit. Sic tenent Sanchez, *loco cit.*, num. 47; Sporer, *loco cit.*, n. 24; Layman, *loco cit.*, vers. *Sed de aliis*; Molina, *loco cit.*, disp. 9, et alii passim, art. authent. *Ingressi*, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*. Et ratio est, quia per professionem in monasterio incapaci bonorum stabilium persona retinet adhuc capacitatem usufructus pro monasterio, cum in cit. authent. *Ingressi*, et authent. *De monachis*, § *Illud quoque* expresse dicatur, quod bona una cum persona, seu tanquam accessoria personæ tradi debeant monasterio.

Alia ad rem, *Vide verb. BONA, DOMINIUM, MARITUS, MELIORAMENTA, PATER, UXOR.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(65. Posse patri in bonis adventitiis filii

prohiberi usumfructum, res est incontro-versa. An autem sufficiat tacita prohibitio, et ex quibus colligi queat? Vide, si lubet, Andreol., controvers. 224, num. 3; cardinal. de Luc. *De servitut.*, discours. 60, n. 2; Pasqual. *De patr. potest.*, part. 1, cap. 3, n. 38; Castill., *De usufruct.*, cap. 3, n. 56 et seq.

(66. Hic vero expendendum est, an prohibito usufructu patri, nihilominus competat ei administratio horum bonorum, si filius ætatis defectu laboret? A Justiniano in Novell. 117, c. 1, § 1, constitutum est, quod testatori, vel donatori liceat destinare administratorem, et hæc destinatione non facta, iudici deferatur potestas administrationem destinandi. Sed in controversia remanet, an non huic curatori iudiciali præferendus sit pater?

(67. Nihil sane de eo disposuit Justinianus, qui fortassis prævidit, patrem, adempto sibi usufructu, onus administrationis sponte declinaturum. Interim si pater velit administrare, hunc admittendum esse reor, cum satis sit quod remotus a lege haud sit, nec privatio ususfructus privationem contineat administrationis, ad text. in leg., fin., § 1, cod. *De bon. quæ liberis.*

(68. Aliud vero erit, si testator patri administrationem quoque ademisset, ut firmant Hartman, Pistor., lib. iv, quæst. 11, n. 13; Carpov. *Jurisprud. forens.*, part. II, constitut. 10, defin. 11. Adde Castill., *De usufructu*, cap. 3, n. 59, et sequent.

UT ECCLSIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

Ex lib. III *Decretal.*, tit. 12.

Commentarius et novus articulus editorum Casinensium.

(1. Cum beneficium detur propter officium, æquum profecto est, ut ubi transit ad successorem officium, et hujus obligatio, etiam beneficium, seu jus percipiendi redditus ecclesiasticos integre, et sine diminutione transeat; alias periculum foret, ne, his reservatis, aut diminutis, vel nullis idoneis inveniatur, qui onus, et officium beneficio sic diminuto adhærens acceptare vellet; vel si qui acceptarent, in ministerio ecclesiastico negligentius agerent. Hinc jure merito generalis regula traditur sub tit. cit. *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

(2. Porro diminutio beneficiorum ecclesiasticorum sex præcipue modis fieri potest; nempe per *divisionem*, per *dismembrationem*, per *suppressionem*, per *unionem*, per *reservationem pensionis*, per *novi oneris impositionem*. De primis quinque actum est sub verb. DISMEMBRATIO, UNIO BENEFICIORUM, PENSIO: de impositione novi oneris hic aliquando fusius agendum.

(3. Et quidem impositioni novi oneris locus sit, quoties episcopus beneficium aliquo onere reali, vel personali gravare, aut partem reddituum beneficii sibi reservare præsumit. Et tale onus reale imponeretur obligando v. g. beneficiatum, ut certam partem

fructuum quotannis solvere, vel aliquid quidpiam pro semel, et semper præstare teneatur. Personale vero onus imponeretur, obligando v. g. beneficiatum, ut deinceps sacram Scripturam legat, catechesim habeat, plures Missas celebret ac antea fuerant præscriptæ, vel ut choro assistat, aut aliud hujusmodi præstet, quod ante hæc non fuerat beneficio annexum.

(4. Jam vero omnino illicitum, atque prohibitum est beneficium conferre cum diminutione per novi oneris impositionem. Ita certa, et communis omnium, atque patet ex c. unic. § *Omnia ergo* hujus tit. juncto cap. *Prohibemus* 7, De censibus, ubi concil. Lateranense sub Alexandro III celebratum sic decrevisse legitur: « Prohibemus insuper, ne ab abbatibus, episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem fructuum suis usibus appropriare præsumant... Si quis vero aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur. » Neque alia fuit mens Tridentini, prout ex cap. 5, sess. xxv, *De reformat.* liquido patet.

(5. « Unde beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel ad quæ ex antiquissima consuetudine non tenentur, prout refert decisum in *una Cremonen. Aldan*; » apud Barbosam in *Trident.*, cap. 5, sess. xxv *De reformat.*, n. 7.

(6. Atque id tantum juris fundamentum habet, ut nec equidem ex conjecturis, et interpretative argui possit de mente fundatorum pro novis oneribus imponendis, quemadmodum decrevit sacra congreg. Concil. apud Fagnanum ad cap. *Significatum*, De præbend., n. 5, in hæc verba:

« Cum episcopus Asculanus imposuisset onus paucae elemosynæ euidam prioratui, quod est beneficium simplex, pro Missis bis in hebdomada celebrandis in cathedrali ecclesia; idque quia licet dictus prioratus actu ecclesiam non haberet cum tamen haberet redditus, et adessent vestigia veteris ecclesiæ, non erat verisimile, illamsine onere Missarum celebrandarum erectam fuisse, Congr. consulta, an id potuisset episcopus, respondit, nullum onus novam imponendum ex conjecturis verisimilibus. » Atque ita communiter DD. tenent; adeoque concludat de Fargna: « Episcopus neque ex verisimilibus conjecturis novum onus beneficiis imponere valet. » *De jurepatr.*, part. v, can. 11, cas. 1, n. 5.

(7. Imo etiamsi capellani, et beneficiati pro tempore novis oneribus hujusmodi per ordinarium impositis se submisissent, non exinde eorum successores obligati forent ad talia onera præstanda, ut sæpius censuit sancta congregat. Concil. in *Sarnen.*, Jul. 1690, et in *Asten.*, 14 Febr. 1699; apud Monacell. *Formul. pract.*, tom. III, part. III, tit. 2, form. 7, n. 21, p. 205. Quod idem tenuit non semel Rota apud de Fargna, *oper. cit.*, part. II, can. 27, cas. 4, n. 3 et seqq., per hæc verba: « Imo idem capellanus, aut beneficiatus non teneretur oneribus, et con-

ditionibus de novo super impositis satisfacere, etiamsi hæc in antecedentibus vacationibus fuissent ab ejus antecessoribus acceptata; quia isti jus non habebant obligandi se suosque successores, eisque irrogandi ullum præjudicium, Rota, decis. 452, n. 85, *coram Bichio*, decis. 494, n. 13, part. XVIII, tom. II recent. »

(8. Hinc porro est, ut ex mente sanctæ congr. Concilii ordinarius nec possit obligare capellanum ad celebrandum quibusdam statis diebus, aut quadam determinato hora, si id ex fundatione non constet, quemadmodum refert cit. Monacell. per sequentia verba: « Neque ab episcopo cogi possunt capellani, sed tantum hortari ad celebrandum certis diebus, et horis in cathedrali, in quæ reperiuntur capellanæ, si in fundatione hoc eis non reperiatur injunctum, sancta congregat. Concil., in *Pisaren.*, 6. Apr. 1647. » Tom. II, tit. 13, form. 2, n. 56, pag. 85.

(9. Quinimo « cum beatæ memoriæ cardinalis Borromæus vellet cogere obtinentes simplicia beneficia in parochialibus, ut per se, vel per substitutos deservirent, congregatio ab eo consulta respondit, non esse cogendos ad aliud, quam ad dicendas horas canonicas, nec teneri, si beneficia simplicia sint, deservire per se, nec per substitutum. » Apud Fagnan., ad cit. cap. *Significatum*, De præbend., n. 4.

(10. Ut merito concludat idem Monacellus: « ... Onera regulanda et implenda erunt juxta legem præscriptam in fundatione, quam ordinarius alterare non potest, nec beneficiato nova addere onera, etiam si patronus, seu executor testamentarius consensus daret, ut pluries respondit præd. sac. congregat. Concil. et præcipue in *Ariminen.*, 23 Aprilis 1589; in *Comen.*, 25 Martii 1689; in *Sarnen.*, 3. Jul. 1690; et in *Asten.*, 14 Febr. 1699, quæ conclusio procedit etiam in collegiata ecclesia, canonicis ejus non potest episcopus onera addere præter in erectione demandata, ead. congreg. Conc., 17 April. 1603: — tom. II, tit. 15, form. 1, n. 29, pag. 204 (155).

(155) Clariss. Pirhing., ad tit. *De præbend.*, § 5, n. 65, in eam ivit sententiam, quod « potest episcopus cum consensu capituli sui, ex causa rationabili, onus aliquod spirituale licitum et honestum imponere beneficio, dum vacat, antequam alicui conferatur, ita ut tale beneficium ad quemcumque possessorem cum eo onere transeat, v. g. ut beneficiatus deinceps docere debeat sac. Scripturam, vel catechesim; idque sumitur ex cap. *Significatum*, De præb., ubi præpositus, et capitul. Ecclesiæ Insulanæ cuidam sacerdoti præbendam contulerat, cum eo onere, ut missam de B. Virgine quotidie celebraret, nisi corporis infirmitate gravatus esset. » Ita pariter tenet Azorius apud Leurenium, *For. benefic.*, part. 1, quæst. 51, ubi sic is concludit: « In specie posse episcopum cum capituli sui consensu ex rationabili causa, dum vacat beneficium, ei adungere onus, v. g. ut deinceps illud obtinens doceat Scripturam, vel catechesim. Item licet capellania ex prima fundatione unius tantum in hebdomada, aut duarum missarum onus habeat, ex justa causa, aut necessitate posse ab episcopo augeri hunc nume-

(11. Unde si de beneficiis juris patronatus agatur, apud DD. sententia est, quod « leges, condiciones, seu qualitates in limine fundationis appositæ non potest patronus hæres, sive fundatoris successor alterare, aut eisdem derogare etiam cum consensu episcopi. Ita conformiter concil. *Trid.*, sess. xxv, cap. 5; cardinalis de Lucas, *De benefic.*, disc. 96, n. 6 et 7, citans Rotam in *Alexandrina decanatus*, 13 Junii 1598, *coram Orano*; et aliam Rotam, decis. 496, n. 9, part. I, recent.; Pyrrus Corradus, in *Prax. benefic.*, lib. II, cap. 10, n. 145 et seqq., ubi, sub n. 152 refert declarationem sacrae congregationis Concil. quæ cum inter alia interrogaretur: « An de consensu patroni possit dispensari cum minore viginti quinque annorum ad capellaniam simplicem oblinendam, ad quam ex fundatione est præstantus sacerdos; » respondit: « Ad quartum: Hanc dispensandi facultatem episcopis post concilium non competere. » Concordat Fagnanus, in c. *Conquerente*, n. 24, *De cleric. non resident.*, pariter asserens, sac. Congregationem censuisse; quod hodie ex decreto concil. *Trident.*, cit. sess. xxv, cap. 5, non sit in facultate ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu patronorum. » Hæc Reiffenst., ad tit. *De præbend.*, § 4, n. 111.

(12. Additur notanter, *patronus hæres, seu fundatoris successor*; nam, quod patronus fundator adhuc vivens, ex justa causa, et cum consensu episcopi possit tollere, seu alterare condiciones, sive qualitates tempore fundationis appositæ etiam ex post facto, censet Garcias, *De benefic.*, part. VII, cap. 1, n. 103, ibi: « De patrono fundatore clarum videtur posse tollere, et alterare condiciones, seu qualitates tempore fundationis appositæ, etiam ex post facto cum consensu episcopi, uti volunt DD. » Atque hæc sententia tenenda, quamvis opposita tueatur Pyrrus Corradus, *loc. cit.*, n. 137, « quia, inquit, concil. Trident. ac declarationes sac. Congregationis non distinguunt inter patronum viventem, et defunctum, eo præsertim, quia per fundationem ab episcopo

rum Missarum, si nimirum redditus sufficiant, et Ecclesia frequentiori sacrificio egcat, Quod si tamen beneficium sit juris patronatus, adhibendum consensum patroni, qui illum rationabiliter negare non potest, ubi adest talis causa, vel necessitas. » Et idem scriptor, *ibid.*, part. II, quæst. 776, n. 2, sic habet: « Tradit Layman... posse episcopum ex rationabili causa beneficio, dum vacat, adicere novum opus, v. g. ut beneficiatus deinceps habeat catechismum, ut capellania ex prima fundatione habens onus legendæ hebdomadatim unum tantum, vel duo sacra, dein habeat onus legendi plura sacra, si tamen redditus sufficiant, et Ecclesia indigeat frequentiori sacrificio... Verum (concludit Leuren.) hæc impositio oneris... ante collationem beneficii, seu antequam alicui conferatur faciendæ. » — Sed ex tot sanctæ congr. Concil. declarationibus hic supra allatis, et ex ipso textu *Trident.* sess. xxv, cap. 5, rectius tenendum est, episcopos id efficere non posse; sed in hoc, vel illo casu apostolicam Sedem pro beneficiato esse adeundam.

authenticam, jam jus est Ecclesiae acquisitum; quod proinde ex post facto non amplius potest fundator eidem auferre, minuire, aut per novas condiciones infringere. » Et hæc posterior sententia, ut ait Reiffenst., *l. c.*, n. 113, « locum habere videtur, quando patronus ex intervallo vellet qualitates fundationis mutare in præjudicium Ecclesiae, aut in præjudicium tertii tollendo jus quæsitum, » ut post Rotam decis. 137, n. 7 et seqq. part. LXXI recent. habet de Luca disc. 30, *De jure patr.* 16, et disc. 16, eod. n. 2 et seq.: alioquin secus (156).

(13. Quæritur: utrum episcopus, vel alius collator possit redditus vacantis beneficii sibi reservare? » Respondeo *negative*, quinimo istud foret novum onus imponere beneficio, illudque diminuere. Ratio clara est, quia bona a mortuis Ecclesiarum rectoribus derelicta, seu tempore vacationis beneficiorum obvenientia, vel in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter conservari, prout habetur cap. *Præsenti* 9, De offic. ordin., in 6. Atque jam ab antiquo statutum fuerat, can. *Quoniam quidam*, dist. 75, et cap. *Cum vos*, 4, De offic. ordin., ubi idcirco jubetur poni œconomus, qui vacante ecclesia, seu beneficio, fructus ipsius colligat, et eos aut in opus ecclesiarum, earumque utilitatem expendat, aut futuris successoribus fideliter reservet. Atqui istud non fieret, si episcopus, vel alius collator beneficiorum, horum fructus, seu redditus occupare, aut in suos usus convertere quoquomodo præsumeret, quod proinde in præallegatis sacris canonibus gravissime prohibitum fuit....

« Additur tamen in cit. c. *Præsenti* 9, De

(156) Ex sententia Schmalzgrueberii « Episcopus non potest qualitates, seu condiciones beneficii in prima fundatione appositas, etiam cum consensu patroni successoris mutare: intellige in totum, et in perpetuum, ac sine rationabili causa; nam ex justa causa cum consensu successoris patroni voluntatem fundatoris per episcopalem interpretari, et interdum etiam pro una, et altera vice dispensare, et sic facere mutationem aliquam, quoad unam, vel alteram conditionem in prima fundatione appositam, potest ut contra Garciam probabiliter docet Layman. Ita Schmalzgrueber ad tit. *De jurepatr.*, n. 259. Sed ex his, quæ hic supra dicta sunt, opinio Garciae, quam vulgo DD. tenent, juris principis magis suffulta videtur.

(157) « Si episcopus cum consensu capituli, non ex pacto, sed per auctoritatem, et potestatem suam ordinariam partem aliquam reddituum beneficii vacantis ob justam, et necessariam causam subtrahat, sibi que ad tempus reservet, etiamsi id in ipsius episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat; v. g. ad solvenda debita episcopatus contracta nomine Ecclesiae, et non suo privato nomine, id per se suapte natura Simoniacum non est. » Pirhing, ad tit., ut supra, *Ut ecclesiastica beneficia*, etc., num. 2. Eadem in terminis docet Laurenus, *For. benefic.*, part. II, quæst. 776, num. 2, ibi:

« De cætero non prohibetur episcopus, non quidem qua collator, sed potius qua iudex ecclesiasticus, seu qua episcopus, non ex pacto, sed per auctoritatem suam ordinariam, quandoque ob rationabilem causam necessitatis hujusmodi aliquid imponere beneficio, v. g. pensionem jam impositam

offic. ordinar. in 6, notabilis limitatio præmissorum, illis verbis: « Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia causa rationabili (puta quia in limine fundationis concessum fuit) hoc eidem competere dignoscatur, nempe episcopis, abbatibus, » etc.; quanquam etiam in hoc casu non sit licitum occupare quæcunque bona morientium rectorum, aut tempore vacationis beneficiorum obvenientia, sed illa solum, quæ supersunt, solutis debitibus, atque ministrorum salariis, et hujusmodi, ut in cit. cap. *Præsenti* subjungitur ». Ita Reiffenst. ad tit. de quo supra, *Ut ecclesiastica benefic.*, etc., n. 8 et seq.

(14. Amplius: « Potest episcopus cum capitulo suo constituere, ut proventus beneficiorum vacantium retineantur ad tempus pro causa justa et necessaria. Ita textus in c. unic. h. t., § ult., et Gloss. fin. *ibid.*, et Innoc., Abbas, alique passim, qui istud exemplificant in casu debitorum nomine Ecclesiae contractorum, pro quorum solutione aliunde media non suppetunt, arg. cap. penult. *De verb. significat.*, ubi Papa pro exoneratione talium debitorum cuiusdam episcopo indulget, ut fructus beneficiorum in sua diocesi vacantium biennio retinere posset, et hoc ipsum intelligi debet de cæteris Ecclesiae necessitatibus, aliisque causis justis ac necessariis. » Reiffenst., *ibid.*, n. 10 (157).

(15. Item quæritur: Utrum a noviter receptis, seu admissis ad possessionem canonicatus, seu alterius beneficii, possit aliquid exigi, saltem existente statuto, vel consuetudine longæva? Respondetur a noviter recepto, seu admissis ad possessionem eccle-

augendo, præsertim ubi majores nunc quam antea fructus ex beneficio proveniant... aut partem aliquam reddituum beneficii vacantis subtrahere, et ad causam piam, v. g. fabricam Ecclesiae applicare, sibi que ad tempus reservare, etiamsi id in ipsius episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat, v. g. ad solvenda debita episcopatus contracta nomine Ecclesiae, et non suo privato nomine, vel pro sua sustentatione. Quin (prosequitur Leuren) et in quibusdam Germaniæ locis, seu Ecclesiis vigere consuetudinem, ut ex beneficiis, v. g. parochialibus loco primorum fructuum, seu nomine annalis dematur aliquid ad episcopales proventus augendos; testatur Layman. ad cap. un. h. tit. *Ecclesiastica beneficia*, » etc.

Audiamus insuper Engel in hæc verba: « Poterit episcopus fructus beneficii vacantis pro utilitate Ecclesiae expendere, vel pro solutione debitorum nomine ecclesiae etiam cathedralis (non vero nomine proprio, nisi pro necessaria sui sustentatione) contractorum, vel ad aliam piam causam applicare... Sed hæc fructuum reservatio fieri debet ante, vel cum collatione beneficii: post collationem autem semel libere factam, sine consensu beneficiati recte non fieret, quia in jure quæsitio alicui præjudicari regulariter non potest. Unde si causa aliqua necessaria urgeat episcopum ad conquirendam pecuniam, et nullum beneficium vacet, vel vacantium beneficiorum redditus sufficientes non sint, tunc ab omnibus clericis sibi subtilis *charitativum subsidium exigere poterit.* » Ad tit. citat. *Ut ecclesiastica beneficia*, etc., n. 5.

siae cathedralis, canonicatum, vel aliorum beneficiorum nihil potest exigi, nec aliqua proventus, seu fructuum deductio fieri, aut aliqua solutio, promissio, seu compensatio convertendorum in utilitatem aliorum canonicorum, seu beneficiariorum interponi; sed quæcunque talia in pios usus non convertenda, censentur illicita suntque prohibita, veluti habentia labem Simoniacæ pravitatis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem, non obstante aliquo statuto, ac consuetudine etiam immemorabili; ita *Communis*. Idque clare patet, ex concilio *Tridentino* sess. XXIV, cap. 14 *De reformat.*, ubi sancta synodus detestatur, atque episcopis aboleri mandat plurium Ecclesiarum constitutiones, pravasque consuetudines ut « in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, seu admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae, vel beneficii, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur. Hæc, inquam, omnia detestatur sancta synodus, et mandat episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non convertantur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant. » Reiffenst., *loc. cit.*, n. 12 et seq.

(16. Attamen « valida foret constitutio, seu consuetudo Ecclesiarum quæ imponit onus receptis ad beneficium conferendi aliquid quod non tendit in utilitatem canonicorum, seu collatorum beneficii, sed so-

lummmodo in utilitatem Ecclesiae, utpote ad conservandam ejus fabricam, vel sacristiam, aut quod convertendum est in augmentum cultus divini, aliosque pios usus, puta ad conservationem seminarii, vel pauperum eleemosynas, prout tum ex relatis verbis concilii argumento a sensu contrario desumitur, tum a sac. congregat. Concil. decisum refert Garcias, p. 8 *De benefic.*, cap. 1, n. 90. Ita tamen ut ista non exigantur pro ipsomet ingressu, seu admissione ad beneficium, sed ad alium finem pium recipiantur. » Sic Reiffenst. *loc. cit.*, n. 14.

Idipsum docuerat Barbosa per hæc verba: « Valere tamen potest consuetudo, et similiter statutum laudabile admittendum est, per quod aliquid exigitur ab obtinentibus canonicatus, et quotidianas distributiones, quod non in ipsorum exigentium utilitatem, sed in Ecclesiam, aliosque pios usus convertatur, modo non pro ingressu ipso, et admissione, sed ad alium finem accipiantur. » *De canonicis*, cap. 15, n. 29.

(17. « Non censerem autem (sic idem Barbosa, *ibid.*) laudabiles consuetudines, quæ sunt pro instauratione, vel reparatione bonorum mensæ capitularis, cederent enim in utilitatem singulorum. » Et ut habet Reiffenst., *loc. cit.*, num. 15: « Secus foret dicendum de consuetudine illa, vi cujus canonici a noviter receptis reservarent, seu exigent aliquid pro restauratione bonorum mensæ capitularis: cederet enim in utilitatem singulorum canonicorum, ac proinde non foret laudabilis, Garcias, p. VIII, cap. 1, n. 90, allegans declarationem sac. Congregationis. »

UTENSILIA

Vide Decretum novissimum ad rem, ad calcem hujus tomi, verb. UTENSILIA.

(1. Utensilia sacra pro missa quotidiana taxata fuerunt a sacra congreg. Conc. ad rationem scutorum quatuor pro quolibet anno. Sic testatur Monacell., tom. IV *Supplement. ad tom. III*, n. 181, ubi sic præcise habet: « Quoad contributionem pro utensilibus sacristiæ sacra congreg. Conc., in una Romana, legati missarum pro archiconfraternitate S. Mariæ de Planctu sub die 26 Martii 1679, ita rescripsit: Taxandam esse eleemosynam ad rationem eleemosynæ manualis in Urbe currentis, detractis tamen ex iisdem introitibus hæreditariis scutis quatuor pro singula missa quotidiana ratione sac. suppellectilium pro hujus missæ celebratione. » Legatum autem conceptum erat his verbis: « Di far celebrare tante messe l'anno, quante ne comporteranno li frutti della sua eredita. » Lib. XLIX *Decret.*, fol. 109.

(2. Parochi non tenentur subministrare capellanis, seu presbyteris in suis ecclesiis parochialibus celebrare volentibus paramenta, et alia necessaria; nec ad id possunt per episcopos cogi, sed tantum hortari. Sacra congreg. Episcop. et Regul., in *Montisalti*, 15 Maii 1699. Non obstante solito. Sacra congreg. Rit., in *Egitanien*, 10 Junii

1692, confirmata in *Suanen.*, 31 Maii 1698, apud Monacell., tom. I, tit. 10, formul. 18, num. 6.

(3. Utensilia sacra non tenentur rector ecclesiae subministrare illis sacerdotibus, qui in eadem celebrant ex obligatione beneficii, seu capellanæ: quatenus vero permittat, seu recipiat missas adventitias in sua ecclesia celebrari, tenetur ad dictam submistrationem; non potest demum cogi ad admittendas missas adventitias, nisi solutis sacris utensilibus; sacra congreg. Conc., in *Derthonen.*, 7 Julii 1726, ad 11 dub.; apud Ursayam, in 2, *Miscellan. sacro et profano* litt. V, n. 67. Vide ipsum etiam tom. VII, part. I, discept. 14, per tot.

(4. Ad dubium, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis mantentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, et similium, habetur responsio sacre congregationis Conc., in ejusdem declarationis us confirmatis ab Innocentio XIII, constitut. incip. *Nuper a Congregatione*: ubi ad septimum expresse respondit: « Permittendum non esse, ut ecclesiae, et loca pia,